

TRACTATUS I. PARTIS PROPRIÆ.

De Syllogismo Demonstrativo.

Caput I. De Demonstratione in genere.

I. Quid sit? R. Απόδειξις ἔστι συλλογισμὸς ὁπισθημονικὸς ἐξ ἀληθειῶν, καὶ πρώτων, καὶ ἀμέσων, καὶ γνωριμωτέρων, καὶ προτέρων, καὶ αἰτιῶν τῷ συμπεράσματι. Anal. c. 2. DEMONSTRATIO est Syllogismus scientiam pariens ex veris, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus & causis conclusionis: ut O. rationale est risibile. O. homo est rationalis. E. O. homo est risibilis.

De DEMONSTRATIONE IV. not.

Remota, quæ sunt tres TERMINI alias dicta tria præcognita

MINOR TERMINUS est subjectum, de quo affectio demonstratur. MAJOR TERMINUS est affectio vel passio propria, quæ demonstratur de subjecto per causam. MEDIUS TERMINUS est principium vel causa, ob quam affectio inest subjecto, ideo de eo per eam scilicet causam demonstratur.

II. Partes quæ sunt

CONCLUSIO, quæ constat subjecto ejusque affectione propria demonstrabili.

Propinqua quæ sunt

- 1. Vera: Ex falsis enim nihil potest demonstrari, & illud quod est ex illis quæ non sunt, sciri nequit, cum non entis nulla sit scientia.
- 2. Necessaria. Est autem necessitas propositionis nihil aliud, quam prædicati cum subjecto perpetuus insolubilis nexus. Ejus 3. sunt gradus, de quibus cap. seq.
- 3. Prima & immediata, h. e. indemonstrabiles. Propositio immediata est, inter cujus subjectum & prædicatum nullum interpositum est medium, quod sit causa, cur prædicatum inhaereat subjecto.
- 4. Priores conclusiones, quia demonstratio ex causis conficitur.
- 5. Notiores conclusiones & respectu nostri, & naturæ. Quoad nos priora notiora dicuntur, quæ propinquiora sensui sunt: ut singularia. Simpliciter sive naturæ priora notiora dicuntur, quæ à sensu longius distant: ut universalia.
- 6. Causa conclusionis. Nam scire est rem per causam cognoscere.

PRÆMIS- SÆ, quæ debent esse

- III. Gradus Necessitatis Cap. 2.
- IV. Species, Cap. 3.
- V. Proprietates, Cap. 4.
- VI. Effectus, Cap. 5.